

Verum loquendo de litteris apostolicis istud est speciale, quod si constet, abrasionem quantumvis modicam in eis factam esse ab impetrante, vel utente, ipsæ reddantur falsæ et sic radens efficiatur falsarius, ac excommunicatus. Glossa, in c. *Licet*. §. *Tenuem. de Crimin. falsi*. Fagnanus, in c. *Ex conscientia*, n. 8, eod. citans plures alios, atque hoc intelligens, etiamsi foret rasura unius syllabæ, unius litteræ, vel puncti.

227. *Vel scriptura abrasa, manu ejusdem notarii rescripta fuerit?* — Deinde limitatur dicta regula, quando scriptura abrasa in parte cæteroquin substantiali, ita bene rescripta fuit, ut aperte cognoscatur, id manu ejusdem notarii factum esse. Jason, loc. cit. post Glossam in d. l. *Edicto*. §. *Prima figura* Bartolum, et alios; quamvis Abbas Panormit. contrarium teneat, in cit. c. *Cum venerabilis*. n. 8, de *Relig. domib.* eo quod nonnulli reperiantur scientes adulterare atque exacte imitari aliorum scripturam.

228. *Cautela notabilis circa hoc adhibenda.* — Ut igitur talis scriptura, quæ in loco cæteroquin substantiali per ipsummet notarium abrasa fuit, et super inscripta, vel etiam cancellata, ab omni falsi præsumptione removeatur; expedit adhibere cautelam illam, quam tradit Abbas ibid. et Mascardus, cit. concl. 1261, num. 16, et 17, citans alios, et allegans consuetudinem vulgo receptam: « Ut videlicet notarius, in fine scripturæ, et ante subscriptionem instrumenti, atque appositionem sigilli attestetur, qualiter ipse abrasit tale verbum in tali linea, vel fecit talem lineam in margine; quia tunc rasura illa nihil oberit, cum in tali casu et diem habeat et testes: secus, si non esset facta talis attestatio per notarium de ejusmodi vitio, vel esset facta in margine, aut post subscriptionem, quia tunc die, et testibus careret. » Mascardus cit. n. 17, post Bartolum, l. *Si unus*, n. 5, c. de *Testament.* juncta addit. marginal. Paulum de Castro, Decium, et Aug. Beroum, in consil. I, n. 38, volum. II, et alios.

229. *Quid, si rescriptum, vel aliud instrumentum, in qua rasura existit, adhuc clausum exhibeatur ordinario? Bullæ pontificiæ ob rasuram non facile solent rejici, et cur?* — Tertio limitatur regula, quando rescriptum, vel aliud instrumentum adhuc clausum, et signatum, coram ordinario exhibitum fuit: quia tunc rasura, si quæ apparet, potius in cancellaria præsumitur facta, quam ab im-

petrante. Quomodo enim impetrans illeso sigillo, ac litteris nondum apertis, eandem facere potuisset? Engel, cit. n. 15, post Joan. Honorium, h. t. num. 20. Et hac potissimum ratione potest salvari hodierna praxis vicariorum, et delegatorum Papæ, qui propter rasuram etiam in dispositivis, imo et in data, non solent facile ejusmodi bullas Pontificias rejicere: nam, ut observat Pyrrhus Corradus, lib. VII. *Praxis dispensationum apostolicarum*, n. 77. Litteræ apostolicæ, antequam ad plumbum ad ipsa cancellaria transmittantur, per officiales ad hoc deputatos possunt abradi, atque immutari, prout juxta mentem summi Pontificis, cujus cancellaria dicitur *Organum*, opus fuerit; prout pluribus declarat idem Pyrrhus Corradus, cit. n. 77, 78 et 79, addens, istud jam diu in cancellaria apostolica permitti ob ingentem numerum negotiorum.

230. *Vel illud reperitur penes adversarium?* Quarto limitatur, si scriptura, vel instrumentum reperitur penes meum adversarium, et iudex ipsum cogat exhibere instrumentum in judicio. Quia tunc non vitiat in mei præjudicium, imo ei præstatur integra fides in omnibus, in quibus potest sumi sensus ex tali instrumento; haud obstante, quod habeat rasuram in loco substantiali: præsumitur enim, quod adversarius eam dolose fecerit. Siquidem abrasio sive cancellatio, vel additio, præsumitur facta ab eo, penes quem reperitur instrumentum, nisi oppositum probetur, arg. l. *Majorem*, juncta Glossa, et doctoribus ibid. c. *Ad leg. Cornel. de Falsis*. Jason in l. *Si unus*, n. 9, c. de *Testament.* Atqui non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. *Non debet*. 75, ff. de *Reg. jur.* ac proinde rasura per adversarium meum facta, mihi non nocet. Jason in d. l. *Edicto*, n. 19, c. de *Edicto divi Adrian. tollend.* Mascardus, n. 22, et alij.

231. *Aut corroboretur per vivam vocem testium? Rasura, vel cancellatio præsumitur facta ab eo, penes quem reperitur instrumentum, nisi probetur oppositum.* — Quinto limitatur, quando instrumentum, in quo reperitur rasura, corroboratur per vivam vocem testium, arg. auth. de *Instrumentorum cautela*, collat. 6; Jason cit. n. 19, ubi rejecta prius opinione eorum, qui in isto casu unum testem sufficere dixerunt, ponit quasdam alias limitationes memoratæ regulæ, sed minus notabiles, quæ proinde hic omittuntur.

§ X.

DE EXPIRATIONE RESCRIPTORUM OB MORTEM CONCEDENTIS.

232. *Rescripta justitiæ expirant morte concedentis re integra; non item, quando res non amplius est integra.* — Queritur I. Utrum rescripta justitiæ, seu ad lites, morte concedentis superveniente expirent? Resp. I. Certum est, quod rescripta justitiæ, seu ad lites, re adhuc integra, expirent morte concedentis; non item, quando res non amplius est integra. Ita communis; habeturque clare decisum quoad utramque partem in c. *Licet undique*. 30. de *Offic. delegat.* ibi. « Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si jurisdictione a suossibi collega delegata, eo vivente uti non coeperit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit, non habet solus officium judicandi: si vero ante mortem illius jurisdictione uti coeperit demandata, vices suas et illius poterit adimplere. » Concordat, c. *Relatum*. 19. et c. *Gratum*. 20. de *Offic. delegat.* et c. *Quamvis* cod. in 6. et l. *Et quia*, ff. de *Jurisdic. omn. judic.* cum similibus.

233. *Ea expirant etiam re integra, licet delegatus ignoret mortem delegantis, seu concedentis rescriptum.* — Et quidem adeo verum est, quod per mortem concedentis, seu delegantis, re integra expirent rescripta justitiæ, ac jurisdictione delegata, ut hoc procedat, etiamsi delegatus mortem delegantis ignoret; adeoque non valeat processus postea per ipsum formatus. Abbas in cit. c. *Gratum*. n. 10. de *Offic. delegat.* Speculator, tit. de *Judice delegato*. § *Restat videre*, n. 5. Sanchez, lib. III. de *Matrim. disp.* 22, n. 55 et 59 et alij. Siquidem jura proxime allegata loquuntur indistincte: unde nec nos distinguere debemus inter scientes et ignorantes mortem delegantis. Accedit, quod jurisdictione nondum efficaciter transierit in delegatum re adhuc integra, seu ante illius usum, c. *Quamvis*. de *Offic. delegat.*, in 6. sed potius effectualiter adhuc existat penes delegatum: unde non mirum, quod hujus morte expiret, tametsi istam delegatus ignoraverit. Sola vero ignorantia non potest tribuere jurisdictionem non habenti, arg. l. *Privatorum*. c. de *Jurisdic. omn. judic.*

234. *Dummodo non concurrat simul error communis.* — Intellige, quando solus dele-

gatus ignorat mortem delegantis, neque error communis concurrat. Secus quippe videtur dicendum, si omnibus passim talem mortem ignorantibus, concurrat simul error communis: nam tunc processus ex tali communi errore inchoatus, et gestus valebit, eo quod error communis jus attribuat, ut l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* et notat Sanchez, loc. cit. n. 59. ac Layman in d. c. *Gratum*. n. 9. post Flamin. Parisium, lib. VII. de *Resignat. benefic.*, q. 24, n. 33. ampliatur. quidquid contradicat Abbas, ubi supra, n. 10. et 11. citans pro se Bartolum in l. *Et quia*. 19. ff. de *Jurisdic. omn. judic.* quorum sententia dumtaxat procedit secluso communi errore, et quando solus delegatus ignorat mortem delegantis, aliis eam passim scientibus.

235. *Rescripta justitiæ re integra expirant etiam cessatione officii ipsius concedentis, seu delegantis, per renuntiationem, vel dispositionem.* — Resp. II. Rescriptum justitiæ, sicut et jurisdictione delegata, re integra expirat etiam cessatione officii ipsius delegantis per renuntiationem, vel depositionem, aut translationem ad aliam dignitatem. Ita Anchoranus in c. *Gratum*, in fine de *Offic. delegat.*; Bartolus, in l. *More majorum*, n. 16. ff. de *Jurisd. omn. judic.*; Sanchez, lib. VIII. de *Matrim. disp.*, 28, n. 56. ut alij. Siquidem eadem est ratio de cessatione officii dictæ modis facta, ac de morte naturali: sicut enim per hanc, ita et per renuntiationem, depositionem, seu translationem, finitur officium, atque jurisdictione delegantis; ac proinde utrobique pari modo cessare debet re adhuc integra jurisdictione delegati, utpote quæ necdum efficaciter in ipsum transiit, d. c. *Quamvis*. de *Offic. delegat.* in 6. sicque omnino dependet a priori. Huc facit, cap. ult. de *Offic. legati*, juncta Glossa ibid. §. *Expiret*.

236. *Non item, si hic postmodum incurrat excommunicationem, vel suspensionem.* — Secus est dicendum de excommunicatione, vel suspensione per delegantem, seu concessorem litterarum contracta. Quia enim per hanc non extinguitur jurisdictione delegantis, etsi pro tunc impediatur exercitium suæ jurisdictionis: ita nec expirat rescriptum, si jurisdictione delegata ab ipso ante suam excommunicationem, vel suspensionem. Bartolus, ubi supra, n. 17. citans Innocentium in c. *Licet undique*. de *Offic. delegat.* Francus in c. *Si gratiose*. n. 12. de *Rescript.* in 6. Sar-

chez, loc. cit. n. 57. et alii. Vero pro majori dictorum intelligentia, dicamus :

237. *Quando res desinat esse integra. Referuntur tres circa hoc sententiæ.* — Quæritur II. Quandonam res desinat esse integra, ita ut valor rescripti ad lites, ac jurisdictio delegata, non amplius morte concedentis censeatur expirare? Celebris est hæc quæstio, ac multum inter doctores controversa: nam aliqui ad hoc, ut res non amplius dicatur integra, sicque perpetuetur jurisdictio delegata, seu rescriptum ad lites requirunt præviã litis contestationem, arg. c. *Relatum*. 19. de *Offic. delegat.* Alii vero requiri, ac sufficere aiunt citationem, ut c. *Gratum*. 20. eod. Alii tandem satis esse volunt quemcumque actum iudicis, quo jurisdictione sibi delegata ante mortem delegantis uti cœpit, ut puta jurisdictionem alteri subdelegando, aut notarium vocando, sive locum iudicii exercendi destinando, etc. quamvis nondum sit secuta citatio partium, arg. c. *Licet undique*. 30. eod. ibi: « Si jurisdictione uti non cœperit, » cum similibus; et partim tenet Glossa c. *Si a subdelegato*. y. *Processum*. de *Offic. delegat.* in 6. partim Hostiensis in d. c. *Licet undique*, ac nonnulli alii. Ad quæstionem igitur adeo controversam,

238. *Ut res desinat esse integra sicque perpetuetur valor rescripti ad lites, requiritur, ac sufficit citatio partis ante obitum concedentis facta.* — Resp. I. Ut res desinat esse integra, sicque perpetuetur valor rescripti ad lites, et jurisdictio delegata, requiritur, ac sufficit citatio partis per delegatum ante obitum concedentis, seu delegantis facta. Ita Abbas in d. c. *Relatum*, n. 5. de *Offic. delegat.*; Bartolus in l. *More majorum*, n. 13. ff. de *Jurisdic. omn. judic.*; Maranta, in *Speculo aureo*, part. IV. dist. 5. n. 61, dicens hanc esse communem opinionem; Barbosa ad cit. c. *Gratum*. n. 3 de *Offic. delegat.*; Sanchez, lib. VIII. de *Matrim.* disp. 28. n. 10. et plures alii ab his allegati, contra relatas duas extremas sententias.

239. *Idque probatur.* — Conclusio hæc desumitur ex cit. c. *Gratum*. 20. de *Offic. delegat.* ubi Urbanus III, super hoc consultus, respondit, quod « citatione facta, negotium sit quasi cœptum; » sicque delegatus possit, ac debeat in causa procedere. Concordat, cap. ult. de *Offic. legati*, ubi dicitur, quod jurisdictio delegatorum per legatum Sedis apostolicæ expiret, si ante hujus discessum, citatio per ipsos facta non præcessit: ubi

proin Glossa, finalis infert. « Ergo, si citatio præcessit, valebit commissio post discessum: sic per citationem perpetuatur jurisdictio. » Accedit ratio, quia, ut perpetuetur jurisdictio delegati respectu partium, oportet, ut interveniat aliquis actus erga partes: atqui primus actus respectu partium, ac jurisdictionis contentiosæ erga eas exercendæ, est citatio, ut c. *Quoniam contra*. 11. § *Statuimus*. de *Probationib.* et § fin. *Instit. de Pœna temere litigant.* ubi primo actu iudicii ponitur citatio; ergo.

240. *Idque probatur.* — Et per hoc patet contra tertiam num. 237. relatum sententiam, quod ad valorem rescripti, et perpetuandam delegati jurisdictionem, superveniente concedentis morte, requiratur, citationem partium præcessisse, nec sufficiat alius actus iudicis; tum quia in cit. c. *Gratum* istud conceditur dumtaxat citationi; sicut et hæc ponitur primus actus respectu jurisdictionis contentiosæ, per jura proxime allegata, de qua proinde etiam d. c. *Licet undique*. eod. cum similibus est intelligendum; tum quia cæteri actus, ut puta jurisdictionem subdelegare, notarium vocare, etc. non exercentur erga partes, sicque per eos nondum potest dici negotium quasi cœptum.

241. *Sufficit autem citationem ante obitum concedentis a delegato emanatam esse, tametsi hæc ad partes nondum pervenerit.* — Resp. II. Nihilominus ad conservandum valorem rescripti justitiæ, haud obstante concedentis morte, atque perpetuandam jurisdictionem delegati, sufficit præcessisse citationem ab isto emanatam, tametsi hæc ad partes antea non pervenerit. Ita Glossa in Clem. 2. y. *Ad partem*. « *Ut lite pendente.* » Abbas d. c. *Gratum*. n. 3. et ibi Layman, n. 2. et Barbosa, n. 5. de *Offic. delegat.* Sanchez, cit. lib. VIII, disp. 28. num. 13. et alii. Idque desumitur imprimis ex verbis cit. c. *Gratum*, dum ibidem dicitur: « Antea obitum delegantis proposito citationis edicto. » Ubi ponderandum ly, *proposito*, et quod postea subjungatur, quod hujusmodi citatione facta, (non distinguendo, an hæc jam pervenerit ad notitiam citati, nec ne) negotium sit quasi cœptum. Accedit ratio: quia, ut res non amplius censeatur integra, solus iudicis actus respectu partium est attendendus, per jura, n. 232. citata: atqui talis actus iudicis jam intervenit per citationem ab ipso emanatam, seu alteri demandatam: ergo.

242. *Proponitur notabilis instantia contra*

hanc sententiam ex c. Relatum 19, de Offic. delegat. — Dices. In c. *Relatum*, 19 de *Offic. delegat.* Lucius III expresse declarat, quod res primum desinat esse integra, atque perpetuetur jurisdictio delegati, per litis contestationem; adeo ut, si Papa delegans « ante litis contestationem decessit, non sit a iudicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum: » ergo ad id non sufficit sola citatio partium a delegato facta.

243. *Quæ est difficilis objectio; et cur?* — Hæc est difficilis objectio, plurimum torquens ingenia canonistarum: nam memoratæ duæ decretales, immediate in corpore juris sese subsequentes, atque a duobus summis Pontificibus immediate in cathedra sancti Petri sibi succedentibus emanatæ, speciem eujusdam antinomix, et contrarietatis præ se ferunt; qualis tamen in volumine ejusdem compilationis (nisi id exprimitur) non est admittenda, ut dictum in Proœmio § 12. n. 205 et seqq. Oportet siquidem, quantum fieri potest, jura iuribus concordare, c. *Cum expediat*, 29. de *Election.* in 6. Et alioquin, si textus in d. c. *Relatum*. 19. de *Offic. delegat.* ex toto fuisset correctus per subsequens c. *Gratum*. 20. eod. ipse non fuisset positus in hac compilatione, utpote per sanctum Raymundum de Pennafort facta « resecatis superfluis: » prout attestatur Gregorius Papa IX. in *Proœmio Decretalium*. Juvabit proinde præcipuas doctorum responsiones breviter adducere, ac examinare. Et quidem,

244. *Referuntur varix doctorum responsiones ad conciliandum d. c. Relatum, et c. Gratum 20 eod. cum earum impugnationibus.* — Imprimis Glossa in d. c. *Relatum*. y. *Contestata*, inquit textum illum habere locum secundum leges, juxta quas requiritur litis contestatio, ante mortem mandatoris, seu delegantis facta per delegatum, ad perpetuandam hujus jurisdictionem; ut auth. de *Litigiosis*. § *Omne*. collat. 8. Secundum canones autem sufficere solam citationem factam ante mortem mandatoris ad perpetuandum rescriptum, seu jurisdictionem delegatam, ut d. c. *Gratum*, eod. Hæc responsio passim relinquitur; tum quia utraque allegata decretalis loquitur secundum canones, cum quælibet earum emanarit a summo Pontifice, sitque corpori juris canonici inserta; tum quia, quod secundum leges requiratur litis contestatio ad perpetuandam jurisdictionem delegati, nullibi satis est expressum:

imo legistæ multum de hoc disputant, ut videre est apud Glossam in l. *Et quia*. y. *Antequam*. ff. de *Jurisdic. omn. judic.* atque Bartolus, ubi supra, n. 13 et 14. et plures alii tenent oppositum.

245. *Referuntur varix doctorum responsiones ad conciliandum d. c. Relatum, et c. Gratum 20 eod. cum earum impugnationibus.* — Deinde Abbas in cit. c. *Gratum*. n. 1 et 2. et ibi Felinus, n. 1. et Barbosa, n. 4. et Sanchez, lib. VIII. de *Matrim.* disp., 28, num. 10. et quidam alii volunt unum textum esse supplendum per alium, atque in priori textu subaudiendum esse ly, *maxime*: quasi Lucius III voluerit dicere, quod res desinat esse integra maxime per litis contestationem, quamvis etiam per citationem integra esse desinat. Verum hæc responsio gravem ex eo patitur instantiam: quia Lucius Papa in cit. c. *Relatum*, expresse declarat, quod si delegans « ante litis contestationem decessit, non sit a iudicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum: » sicque aperte excludit dictam supplementationem per subauditum ly *maxime*.

246. *Referuntur varix doctorum responsiones ad conciliandum d. c. Relatum et c. Gratum 20 eod. cum earum impugnationibus.* — Alii igitur, ut refert Barbosa, d. c. *Gratum*. n. 4, existimant citata capitula ita posse concordari, ut prius, seu c. *Relatum* procedat, quando delegatus certum accipit nuntium de morte delegantis; posterius vero, nempe c. *Gratum*, procedat, quando delegatus nondum est certus de morte delegantis; prout innuit textus ibi: « et maxime, si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest (citatione antea facta) et debet in causa procedere. » Verum hæc responsio partim mirum restringit communioem doctorum sententiam, asserentium indistincte, quod per solam citationem perpetuetur jurisdictio delegati, ac res desinat esse integra, dum dicta responsio hanc sententiam solum admittit in casu ignoratæ mortis delegantis. Partim isti responsioni adversatur contenta in relato textu dictio illa, *maxime*; nam hæc est dictio implicativa, atque ex vi suæ significationis implicat, seu denotat idem esse in casu contrario, seu ubi ratio expressa deficit, licet in ipso fortior militet ratio, arg. l. 1, § *Si ex dodrante*. ff. de *Collationib.* Everardus, « *Loco a natura dictionum implicativarum,* » n. 1, Barbosa, diction. 197, n. 1, et alii.